Publica hæc via, de qua loquitur Evangelium, ubi mysticum cum gratiæ semen illico vel teritur pedibus, vel ab avibus rapitur, aliudve siginicat, quam mortalium statum, ubi negotiorum impedimenta, curarum multitudo, affectuum vigor salubrimas suffocant inspirationes? Verum quis melius, quam mundi assectæ, status sui difficultates, ac miserias novit? Quanam eloquentia dolorum suorum causas enarrant! qua emphasi pericula exaggerant, tristesque casus deplorant! Quæ umquam descriptiones magis ad vivum expressæ, quam illæ, quibus ea referunt, quæ sibi ferenda sunt, ac metuenda! *Idem.*

Cautionum, & voluptatū mundi vanitatis.

Vanitas vanitatum, inquit Ecclesiastes. Quidquid sensibus nostris blanditur, quidquid nostram fovet ambitionem, vanitas est. Rex fui, subjicit ille, & Regum nemo magnificentia me vicit, nemo perfectiori gavisus est prosperitate. Voluptates, opes, servorum cohortes, palatia, quidquid esse potuit meorum desiderorum objectum, plurimum contulit, ut voti compos evaderem: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omnis voluptate frueretur*. Eccl. 2. Ullusne fuit beatior? ullane extitit fulgidior fortuna? Verum ipsum audiamus: *Vidi in omnibus vanitatem*, exclamat, *& afflictionem animi*. Intellexi in mundo nihil esse, nisi vanitatem, & afflictionem spiritus: nobilitas, dignitas, opes, magna nomina, *omnia vanitas. Idem.*

Nonnumquam de insatiabilitate desideriorum auditur querela; sed potius audienda esset de fragilitate bonorum, quæ desiderantur, & nos explere non valent: ager, munus, officium nimis angusta fortuna est, neque satisfacere potest cordi ad objectum longe præstantius facto. Ego unus, Sapiens ait, plures collegi thesauros, quam omnes simul Reges: tranquille iis rebus omnibus gavisus sum, quæ voluptatem possunt adferre: ea omnia gustavi, quæ placent, & hæc omnia non profuere, nisi ut intelligerem, præstantissimam quamlibet in terris fortunam inanem esse fulgorem, & quidquid præ cæteris in mundo nitet, nihil esse, nisi vanitatem, & spiritus afflictionem; *Et gaudio dixi, quid frustra deciperis? Idem.*

Mors alium vita somno similis.

Mundo inservientium vita proprie vita vocari non potest, sed potius somnus morti simillimus. Illam sub hac imagine Regius Propheta Psalm. 75. nobis exhibet cum ait: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis.* Nostis, per somnum omnes animæ facultates, non secus ac corporis, esse quodammodo alligatas, atque suspensas, & solam imaginationem sua secum phantasmata, imaginesque versare. Hæc nos ad dignitates attollit, thesauros aperit, conviviis præsentes efficit, sexcentis replet deliciis, sed ubi expergiscimur, omnes istæ illusiones evanescunt, nosque invenimus æque abjectos, & miseros, æque esurientes, ac tristes, ac antequam oculos somno claderemus. Hæc est mortalium hujus mundi figura. Ratio, quæ jugiter attolli deberet ad cælestium, æternarumque rerum contemplationem, alto quodammodo sepulta somno jacet; ita ut animalis, absit verbo invidia, anima sola vigilet. Hoc efficit, ut inanibus tantum occupentur desideriis, inutilibus se ipsos fatigent perquisitionibus, ac tandem omnem requiem, & felicitatem suam in incerta fallacium voluptatum, inaniumque vitæ hujus bonorum perfruitione constituant. *Liber, qui inscribitur: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Imagines, & exempla fusnestæ pacis mortalium in voluptatibus fuit.

Nihil, mea quidem sententia, magis terribilem adstruere potest ideam status, in quo inter noxias voluptates mundi sectatores versantur, quam quod nobis proponit Scriptura Lazarum in sepulcro quatriduanum describens. Docent Patres hujus hominis mortem, ac tumulum, ubi inter vermes, tabumque dormiebat, imaginem esse perniciosi illius somni, quo peccator obrutus est, & figuram funestæ quietis, qua inter sua crimina quadet. Alteram æque admirabilem in Sisaræ persona figuram deprehendimus. Nosti, infelicem hunc virum, quem gravissimus fuæ labor exhauserat, summa cum voluptate epotasse lac a Jaele sibi propinatum, gravatumque somno, ac super terram prostratum in utramque aurem obdormisse. Sed quanto hoc illi lac, somnusque pretio steterunt! generola etenim virago altissimi soporis illius tempus nacta caput ingenti clavo transfossum affixit humi, in qua tranquille adeo quiescebat. Peccatum, inquit Scriptura, est tamquam dulce lac, quod impii bibunt, & quo avidissime replentur. Sed lac istud venenatum est, vaporesque habet adeo malignos, ut illud pene gustasse sufficiat, ut in perniciosum illum soporem, de quo modo locuti sumus, fiat lapsus. Humi dormiunt, cum in fallacium voluptatum perfruitione quiescunt, ibique clavo quodammodo confixi sunt, cum consuetudo adeo fortiter alligat, ut cum nulla re inde valeant separari, ex lethargico hoc morbo in æternam mortem descendant. Cum vix sopore capti sunt, haud æge fortasse possunt excitari, sed cum somno veluti insepulti sunt, certum est, illos inde excitari non posse, nisi potenti ea voce, quæ olim e sepulcro Lazarum evocavit. *Idem.*

Hujus mundi bona hominem felicem facere nequunt.

Frustra sæculi mortales sperant, se in hujus mundi bonis veram felicitatem inventuros. Acquisitio, conservatio, augmentum divitiarum nonne ut plurimum violentiæ, & injustitiæ effecta sunt? Aliquidne eorum possessione incertius est, & incostantius? nonne hic funestus est fons malorum omnium, quæ in terris accidere conspicimus? Honor estne pretium virtutis? Hujus quidem veluti umbra est. Vetus quidam ait; at hæc umbra semperne sequitur corpus? Meritorum magnitudo semperne est dignitatis mensura? Honor, ut verbo me expediam, certa nota est, & gloriosus character, quo viri probi ab improbis secernantur? Aliquidne ibi indignius est nobilitate, ac magnitudine animæ nostræ, quam corporearum amor voluptatum? Earum perquisitionem nonne semper inquieta sollicitudo, ac jugis mœror subsequitur? Earum complementum nonne in dedecus, nauseamque decidit, & jactura illarum nonne dolore excipitur, & tristitia? De felicitatis essentia est, a nullo pendere, æternam esse, interiorem, tranquillam, incorruptibilem. At si mortales fatentur, ne unam quidem ex his qualitatibus in bonis, honoribus, & voluptatibus invenire, quomodo ibi suum sperant felicitatem inventuros? *Idem.*

Terrenarum rerum mutationes ad immortalis æternitatis cogitatione debent traducere.

Maximæ quælibet fortunæ, & quæ præ cæteris fulgent, sæpe subitis, celerrimisque mutationibus sunt obnoxiæ. Si hæc veritas licet maxime constans, parum nota est, hoc præjudiciis acceptum referendum est. In vanitate, & mundi amore nascimur, in hoc adolescimus, innutrimur, roboramur; in eodem sine conscientiæ stimulis vivimus, neque errorem intelligimus nostrum, nisi cum malum consummatum est, & cum nulla medicinæ ratio, vel tempus superest . . . Profecto se ipsum fallit, simulque in deplorablli excitate vivit, qui aliquo se in pretio ostendit habere ea, quæ statim ac apparent, evanescunt, eaque contemnit, quæ numquam sunt interitura. Æternitas sola hominis scientis unam esse tota esse deberet occupatio: quomodo vero curas suas impendere iis potest, quæ cum illa nullam habent rationem, & quæ ad eamdem nos adducere nequeunt? . . . . . Mundus præterit, accedit æternitas; atque in quæstu ponere debemus ea omnia, quæ ad æternam felicitatem acquirendam nobis Deus præbet, adminicula, ne ita miseri simus, ut vasculis manibus sterilesque inveniamur, cum uberem ille a nobis messem reposcet. *Abbas Trappensis, tomo primo Christianorum dogmatum.*

In mundo esse stanti pace gaudere non possumus.

Cum mundus plenus sit molestis, acerbisque casibus, fieri nequit, ut ibi pacis, & constantis quietis momentum inveniatur, nisi inde egrediamur, nisi ad Deum nosmet attollamus, nisi illum cordis nostri sensus in altero mundo inquiramus. Hoc malum est, quod illi, quibus hoc persuasum est, animum appellere nequeunt, ut sibi vim faciant, ut sese terrenis curis, & cogitationibus expediant, quamvis sciant, & quotidiana erudiantur experientia, eas sibi præbere non posse, quod ipsi maxime cupiunt. Hæc quædam fascini species est, quam infringere non valent, quæ toto vitæ eorum spatio viget, & cui non nisi cum dolore finem imponunt, eo quod tempus, affectiones, personasque suas illi impenderint rei, quæ ne minimum quidem curarum suarum momentum merebatur. *Idem.*

In mundo nihil nisi dolor, & calamitas est, nulla vera voluptas.

Ullane solida voluptas inveniri potest in mundo inter tot infortunia, quæ gaudia, consilia, spesque nostras perturbant? Quot ibi inevitanda pericula, morbi cum gravissimo dolore conjuncti, jacturæ molestæ, acerbæ curæ, incommoda officia, & occasiones afflictionem afferentes? Ipsa harum rerum enumeratio tædium afferret, quid autem illas pati? Statim ac aliquo expediti sumus negotio, altero impedimur; hujus finis initium recentis est, cumque post multos exantlatos labores aliquam adepti sumus requiem, hæc tranquillitas est, quæ ubi affulserit, statim evanescit. Tandem enim qui perfectam hoc in mundo pacem sibi pollicetur, vehementer errat. Rex me sua gratia dignatur, dicebat olim superbus ille Aulicus Assuero Regi gratiosus; novis quotidie me cumulat beneficiis, primum in imperio gradum teneo; attamen tanta in rerum omnium affluentia, nihil possessurus mihi videor, donec Mardorchæum Judææ gentis hominem præ foribus regiæ domus sedentem videbo: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto &c.* Esth. 2. Hac in figura omnes mundi sectatores exhibentur, docemurque in rebus maxime prosperis, non deesse aliquam

aliquam secreti mœroris causam, quæ virus admiscet eorum suavitati, & quæ hujus autert perfruitionem. Quod si perfecta, & sine ulla doloris mixtura, felicitas inveniretur, humanus spiritus adeo angustis finibus circumscriptus est, ut eadem frui minime posset. Nos docet experientia, ubi veris ille caret curis, fictas sibi comminiscitur, atque insanis prævisionibus, importunisque timoribus læpe se miserum facit, cum esse deberet felicissimus. Ne speremus igitur, nos imposterum magis contentos fore, quam hactenus fuimus. *Specimina sermonum pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

MUNDUS.

Mundi flagitia; mundi placita; pericula pereundi in mundo; amor mundi.

MONITUM.

ON fore animus, hoc in loco ea solum flagitia referre, quæ in mundo grassantur, & scelera, quæ committuntur, sed ostendere eo modo, quo mortales mundi sectatores vitam traducunt, saluti suæ consuli nequaquam posse, quoniam leges, & placita, secundum quæ suos mores componunt, legibus, præceptisque Evangelicis prorsus adversantur. In variis descriptionibus vitiorum mundi, quæ in hac collectione afferentur, damnabitur vita duplicis hominum generis, quorum alii sese vitiis abdiderunt, & in aperta licentia versantur, Alii modum aliquem servant, a gravioribus quidem vitiis, effusiorique abstinent libidine, & qui hac moderationis aura defensi honesti viri habentur in mundo, cujus placita, moresque sequuntur, ambitiosi, amore proprio animati, ad levissimam quamlibet, injuriam in iras erumpentes, atque idololatra nominis sui, cui cætera sacrificant. Hæc duplex est mortalium species, quibus mundanorum nomen tribuitur, quorum inevitabile damnationis periculum, nisi resipuerint, ostendandum est.

Argumentum hoc nimis late patere videbitur, si de singulis vitiis, placitisque seorsim instituatur sermo; ideoque summa capita astringenda sunt, quæ in triplici continentur concupiscentia, de qua loquitur S. Joannes. Sed evitari non potest, quominus oratio ad alia dilabatur argumenta, quæ cum hoc nexum habent, qualia sunt pravarum sodalitatum Lues, proxima occasio peccati, vita mollis, aliaque plura particularia flagitia, de quibus hoc in opere sermo fuit. Verum quin illa consulenda sint, hoc in tissule satis superque copis suppeditabimus, unde plures institui possint conciones.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Synopsis.

I.



Postquam constitutum, explicatumque fuerit, quid sit mundus, quem fugere, & odisse, cum quo nullam societatem, ac necessitudinem inire, tenemur; esse videlicet eorum consuetudinem, qui in vitiis volutantur, & secundum sæculi placita Evangelicis, divinisque legibus opposita vitam traducunt; pro argumento, & partitione concionis hæ duæ desumi possunt propositiones. Prima est, nihil in mundo existere, quod Christianum in salutis discrimen minime adducat, nisi corde saltem, affectu, moribus, vita ab eodem abhorreat. Altera est, nihil esse in Christiano, quo non teneatur mundum fugere, & odisse, si velit saluti propriæ consulere.

Quod ad priorem spectat propositionem, tres afferri possunt rationes, quibus probatur, nihil in corrupto hoc mundo inveniri, quod nos corrumpere nequeat: 1. pravum exemplum, quod instar torrentis est, cui pauci resistunt, & qui fortissimum, ac robustissimum quemlibet secum trahere potest. Exemplum vitia, & scelera ab oculos ponens illa efficaciter persuadet, sensimque, & sine sensu inspirat in animum, ita ut vix, & ne vix quidem possint evitari. 2. Propter nefarias, perniciosasque sententias, juxta quas mundi sectatores suam vitæ rationem accommodant. Quænam illæ sint, ubi de fortunæ bonis, honoribus, & voluptatibus agitur, & ad quas cæteræ referuntur, nemo unus ignorat. Quomodo autem in mundo, ac inter mundi amatores vivere possumus, quin illius leges, mores, & consuetudines sequamur? Sed cum hæ leges divinis adversentur, & hæ sententiæ Evangelicis opponantur institutis, quomodo cum salutis nostræ ratione conciliari possunt? 3. Propter sermones, judicia, censuras, irrisiones, quibus excipiuntur a mundi sectatoribus illi, qui diversam sequuntur sententiam, quod jure vocari potest virtutis persecutio, efficitque, ne plurimi hanc profiteantur; quam si quis amplectatur, difficile est, ne acerrimis, assiduisque labefactetur insultibus, quos mala inferunt exempla, perniciosæ opiniones, & aculeatæ irrisiones, nisi a mundo secedat, & hoc pacto suæ saluti prospiciat.

Pars altera. Nihil esse in homine Christiano, quo non cogatur a mundo secedere, hoc est mundum fugere, & odisse. 1. Si spectetur, quid est, & quid in se habet quatenus homo, infirmitas, & inconstantia, affectionum vis, quæ ad objectorum, quæ sunt in mundo, inflammantur intuitum; velut ille, qui exempli gratia in ambitionem pronus est, poteritne in pulvere repere, quin omnes industriæ nervos intendat, ut se attollat, & in turba enitescat? Si in avaritiam proclivis est, nonne omnem navabit operam, ut opes acquirat; cumque solus divitiarum amor culpa non vacet, nonne semper in damnationis statu versabitur, si in id unum incubuerit, ut quacumque via locupletetur? Cum vero homines incredibili trahantur vi ad sensuum volutates, quo pacto necessariam ibi servare poterunt mediocritatem, atque ab illiciis abstinere in mundo, ac tot inter occasiones, & objecta permanentes? Quomodo poterunt tot evitare laqueos, qui nobis ubique struuntur, & quibus mundus repletus est? *Mundus totus in maligno positus est.* 1. Joann. 5. Sin autem hominem spectes, quatenus Christianum, & id, quod per gratiam est, multo magis corruptum hunc mundum fugere, & horrere tenetur. 1. Quia hoc pollicitus est solemni professione in Baptismo eam amplexus religionem, quæ illum cogit vitam instituere vitæ mundanorum prorsus oppositam. Verum potestne eorum præstare fidem, quæ coram cœlo, terraque spopondit, quin secedat a mundo, hoc est a pompis, & operibus mundi, quibus, cum Christianus fieret, abrenunciavit? 2. Quia quatenus Christianus tenetur sequi Salvatoris exemplum, qui prototypus est, cui sese debet conformare, ut in prædestinatorum numero reconseatur: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*: ad Rom. 8. Verum Dei Filius ideo venit in mundum, ut illius placita everteret, quod verbo simul præstitit, & exemplo. Christianus igitur, qui illum sequitur, eumque imitari profitetur, mundum respicere debet, tamquam sibi infensissimum hostem, ejusque leges tamquam legibus Domini. Deique sui prorsus oppositas. 3. Christiani nomen, quod gerit, religio, cujus leges, præcepta, & cæremonias servare palam profitetur, nihil habent, quod spiritui mundi non adversetur, & quod placita illius non avertat, quia humilitatem exposcunt, mortificationem, sui ipsius abnegationem &c.

II.

Qui mundum, mundique sensus sequuntur, & ad eos vitam componunt suam, apertissimum habent reprobationis characterem.

1. De sua salute non cogitant vitæ hujus curis distenti, & in id unum incumbentes quomodo omnibus volutatibus perfruantur: 2. quam plurima committunt scelera, suis indulgentes effectibus, atque perfringentes leges Dei, ut secundum mundi leges, & placita vivant:

vivant. 3. nullam agunt pœnitentiam, cujus ipsum nomen ignorant, nullamque Christianam virtutem exercent, ut æternam felicitatem mereantur.

III. Concio in duas hasce partes dividi potest.

Altera complectetur justas fugiendi, odioque persequendi mundi causas: 1. quia non possumus illi accepti esse, ac simul Jesu Christo placere, sicuti testatur Apostolus: ideoque Ecclesia autequam in filiorum suorum numerum nos recipiat, exigit, ut mundo, omnibusque pompis ejus abrenunciemus: duo hi domini oppositos habent sensus, & imperant contraria: 2. quia mundus insensissimus est salutis nostræ inimicus, quemadmodum apertus est hostis Dei: 3. quia leges, & placita ejus ea sunt via lata, quæ ad æternam damnationem adducit.

Altera tradet modos, quibus uti poterimus, ut ab affectu mundi divellamur, qui sunt, 1. cogitare, quis futurus sit finis gaudiorum, voluptatum, honorum, omniumque hujus mundi bonorum; quæ aliquando erunt reinquenda, & quæ diuturna esse non possunt: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Joann. 21. 2. evitare, ac perhorrescere sectatorum mundi societatem, ne eorum vitiis fædemur, & ne in eorum sententias abeamus; Sapiens enim dicit: *Amicus stultorum similis efficietur*. Prov. 13. 3. mundi sensus contemnere, ac in actionibus, cœptisque omnibus fidei lumina, æternasque leges sequi.

IV. Cum in mundo duo sint mortalium genere, quæ illius placita, legesque sequuntur, cavendum est, ne aliorum quidem vitia sequamur, aliorum vero specie virtutis decipiamus. 1. Primi illi mortales sunt affectionibus suis mancipati, qui apertam morum licentiam profitentur, cum quibus quomodo nosmet gerere debeamus, non latet: 2. alii honesti dicuntur, atque nonnullas morales virtutes exercent, omnemque religionis speciem præseferunt, sed humana tantum ratione operantur &c.

V. De oppositione, quæ inter Spiritum Dei, & Spiritum mundi invenitur, in ea Evangelii verba *Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere*. Joann. 14.

1. Spiritus Dei spiritus est veritatis, se enim nobis communicans nos de cœlestibus, æternisque veritatibus erudit; sed spiritus mundi spiritus est erroris nos fallacibus sententiis decipiens, quæ nostræ damnationis est causa. 2. Spiritus Sanctus est spiritus puritatis; cum enim in nobis est, extinguit, quidquid voluptuosum, & carnale ibi est; ideoque in ignis forma, cujus proprium est purgare, descendit in Apostolos: sed mundi spiritus, nos ad sensuum voluptates impellit, & ad ea omnia, quæ corpori blandiuntur, & libidinem cient. 3. Spiritus Sanctus est spiritus charitatis; proprium illius est esse amorem substantialem, qui, statim ac illum accepimus, efficit, ut Deum diligamus, & pro Dei gloria omnia faciamus, & perferamus; sed mundi spiritus nobis proprium inspirat amorem, ea quærit, quæ sua sunt, commoda, voluptates, & excitat odium proximi, cum nostris consiliis, & cogitationibus adversatur.

VI. De oppositione, quæ mundum inter, & legem Dei invenitur. Si mundum spectemus, & mundum, quo ibi vivitur, tres ibi apertissimas divinæ legi oppositione inveniemus.

1. Lex Evangelii nobis confert libertatem filiorum Dei; e contra vero lex mundi sectatores ejus servos facit affectionum suarum, eosque turpissimæ subjicit servituti, 2. Lex Evangelica lex est mansuetudinis, quam sequitur gaudium, quod Spiritus Sanctus in corde producit; at mundi lex promittentis, & permittentis voluptatum omnium perfruitionem lex est austera, & molesta crudelissimos dolores excitans. 3. Lex Evangelica sancta est, nobisque morum puritatem, & vitæ Sanctitatem præscribit; sed lex mundi vitium probat, licentiam, omnique scelerum genera suadet. Ita libertas Evangelicæ legis opposita servituti legis mundi; suavitas legis Evangelicæ opposita austeritati legis mundi; sanctitas legis Evangelicæ opposita impuritati legis mundi effitere possunt tres partes concionis.

VII. 1. Mundum fugere debemus, quia in se ipso, in sententiis suis, in actionibus, consiliis, conatibus corruptus est: 2. quia amatoribus suis corruptionem communicat. *Desumptum ex specimine sermonum pro Dominicis tom. 2. sermone pro decima post Pentecosten Dominica.*

VIII. 1. Omnes Christiani communi lege tenentur a mundo esse divisi; quia omnes per Baptismum Dei cultui sese devoverunt; quia in ea religione sunt, quæ mundo bellum indicit, easque in professione, qua mundo emori jubentur &c. 2. quinam sit hic mundus, qui fideles omnes abrenunciare coguntur: 3. ratio hujus muneris obeundi, ac vincendi mundum, nisi re ipsa possit relinqui.

1. Difficile est in mundo vivere, ibique non præverti propter mala exempla, quæ ibi videntur, propter peccandi pericula, quibus ibi semper funus obnoxii, propter frequentes delinquendi occasiones, quas evitare difficile est. 2. Difficile est ibi converti, ac inservire Deo, nisi a mundo separemur, omniaque infringamus vincula, quibus eidem alligamur. *Pater de la Colombiere tom. 3. sermone 57.* IX.

Salutis nostræ pericula in mundo ad tria potissimum capita referuntur, quæ in tribus hisce D. Augustini verbis continentur, quæ sermonis partitionem efficere possunt. *Mundus exemplo inficit, errore decipit, præcepto deficit.* X.

1. Mundus corrumpit exemplo pravo, quod ob oculos ponit, & quod magnam in animo efficit impressionem. 2. Seducit errore, fallacibusque opinionibus, quas nobis sensim inspirat. 3. Leges nobis præscribit oppositas legibus Dei, atque nos ad Evangelicas infringendas impellit, quæ legibus ipsius sunt contrariæ.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

SAnctus Augustinus *de agone Christiano* docet, Christiano mundum esse vincendum, & quomodo. Sancti Patres.

Idem in Psalm. 141. docet per mundum, quem Jesus Christus damnat, intelligendos impios, qui in mundo vivunt, & mundi legibus parent.

Idem in hæc Psalmi 85. verba. *Eripuisti animam meam ex inferno*, ait, duplicem esse impiorum infernum, quorum alter hic mundus est, ubi in affectuum suorum perturbatione, ac sub eorum tyrannide vivunt, alter vero post vitam hanc.

Idem In hæc verba Psalmi 113. *In exitus Israel de Ægypto*, ostendit Ægyptum esse mundi corrupti imaginem, unde egrediendum est, ne sub gravissimæ servitutis jugo, ut olim Israelitæ, vivamus.

Idem hoc ipsum ostendit explicans hæc verba Psalmi 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion.*

Idem, vel Auctor sermonum *ad Fratres in Eremo* docet mundum per infamem domum repræsentari; eos, qui illum perfecte relinquunt, similes esse Loth, eos vero, qui ægre eum deserunt, post terga respicientes, similes uxori sancti illius viri, quæ fuit in statuam salis conversa.

Sanctus Hieronymus *lib. 2. in cap. 7. Mich.* docet paucissimos esse in terris justos, & quanta sit sæculi corruptio.

Idem *in Expositione Epist. Pauli ad Galat.* in ea verba: *Qui eripuit nos de presenti sæculo nequam*, quærit, cur præsens sæculum dicatur nequam, ac vocari ait propter scelera, quæ committuntur, & vitia, quæ ibi grassantur.

Idem *Epist. 1. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ*, describit salutis pericula, quæ in mundo sunt, ducta similitudine ex procelloso, & scopuloso mari, ubi qui navigant, semper in pereundi periculo versantur.

Idem *Epistola 23. quæ est Paulæ, & Eustochii ad Marcellam*; ostendit, mundum esse civitatem confusionis, ubi vitium regnat, eamque relinquendam exemplo Abrahæ, cui præcepit Deus, ut terram, quam habitabat, desereret.

Sanctus Ambrosius *libr. de fuga sæculi capit.* 1. ostendit, quam difficile sit in mundo permanere, ejusque mores non sequi, quod ipsum argumentum, & capite quinto prosequitur.

Sanctus Cyprianus *Epist. ad Donatum* mundi vitia ad vivum describit.

Sanctus Eucherius *Epist. ad Valerianum* de eodem argumento eloquentissime disseruit.

S. Basilius *Homil.* 15. *ex Variis in Psalm.* 61. docet mortales vitiis virtutum nomina tribuere, & sub boni prætextu malum committere.

Origenes *Homil.* 3. *in cap.* 4. *Exodo cap.* 5. ait, perversum hunc, corruptumque mundum relinquendum esse, si Deo fidelter servire velis.

Idem *homil.* 7. *in cap.* 6. *Josue*, docet fidelibus nihil esse debere commune cum sæculi amatoribus, neque in Ecclesia mundi consuetudines esse invehendas.

Idem *Homil.* 2. *in cap.* 51. *Jerem.* in hæc verba: *Calix aureus Babylon, in manu Dei inebrians omnem terram*, ostendit mundanos omnibus affectibus esse inebriatos, quæ res efficit, ut terra universa peccatis redundet.

Sanctus Chrysostomus *Homil.* 12. *in Epist.* 1. *ad Corinth.* docet, mundi affectus virtutes in vitia mutare, & vitia in virtutes, aliis aliorum nomina tribuentes.

Idem *Homil.* 7. *in cap.* 1. *Joann.* in ea verba, *& mundus eum non cognovit*, ostendit, quid mundi nomine vocandum sit, homines videlicet mundo inhærentes, & mordicus illius placita sectantes.

Sanctus Bernardus *serm.* 9. *de Conf. Domini* in mundum invehit, ejusque amatores, quos maledictos a Deo vocat.

Idem in declamationibus doce, quinam mundi amicus dicendus sit.

Idem *serm.* 3. *de Circumcisione* ait, parum tutum, & difficile esse converti, & agere pœnitentiam in hoc mundo, ubi omnia ad peccandum impellunt.

Idem *serm.* 10. *in Psalmum Qui habitat*, ostendit quonam in periculo jugiter versentur, qui vivunt in mundo.

Ascetici, alique. Dionysius Carthusianus in *Speculo* de sæculi amatoribus loquitur.

Granatensis in Peccatorum duce lib. 1. c. 28. prolixum, egregiumque habet tractatum in eos, qui propter amorem mundi in via virtutis incedere nolunt, ubi loquitur de periculis, quæ in mundo inveniuntur, de mundi cæcitate, ac tenebris, deque peccatorum, quæ ibi patrantur, multitudine.

Hieronymus Platus *de bono status Religiosi* lib. 1. c. 5. de mundi periculis, & laqueis loquitur.

Cardinalis Bellarminus *opusc. de Gemitu Columbæ* l. 2. c. 7. fons lacrymarum. Mundi sectatorum vitia.

P. Haineuve libro, qui inscribitur: Magna via, quæ mundum perdit, part. 1. ubi loquitur de usitatiori mundi vita, & ostendit, quid sit iste mundus ab Evangelio damnatus.

Cambolas in libro, cui titulus, Christianæ vitæ exemplar c. 6. ubi fusius ostendit, Christianum abrenunciare debere mundo, & ab illius sensu abhorrere.

P. Camaret tom. 2. Perfecti Christianismi, obstaculo 9. fusius hoc tractat argumentum, de placitis mundi.

P. Sebastianus Sylvanectensis in libro, qui inscribitur, *Entretiens du Sage* c. 13. loquitur de mundi contemptu.

Moralis Christiana *in Pater* lib. 3. sect. 4. art. 1. docet, quid sit mundus, quidque mundana, quæ ibi ducitur, vita.

Pean tom. 3. spiritualium Dialogorum, Dialogo 10. de mundi contemptu, ubi satis fuse de malis, quæ ibi committuntur, sermo est.

P. Croiset tom. 1. Considerationum Christianarum prolixe de Mundo, falsisque ejus opinionibus loquitur.

Concionatores nuperi. P. Texier *tom.* 1. *Quadragesimæ*. Sermo pro feria 2. post Dominicam 2. totus est contra mundi amorem.

Idem *tom.* 1. *Domin.* Dominica 4. post Pascha in Evangelium: *Cum venerit Paracletus, arguet mundum de peccato* &c. ostendit mala, quæ committunt in mundo, & quænam sit oppositio mundum inter, & Jesum Christum.

P. de la Colombiere tom. 3. serm. 57. de mundi fuga.

Idem in Christianis considerationibus unam habet de mundo, & periculis, in quibus ibi salus æterna versatur.

In specimine sermonum pro Dominicis, tom. 2. pro 20. post Pentecosten Dominica de hoc sermo est argumento.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta tom. 1. serm. 1. loquitur de mundi fuga, & separatione.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Genes. 6.

Cumque vidisset Deus terram esse corruptam; omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. Ibidem.

Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Genes. 6.

Dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Job 21.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Psalm. 34.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psalm. 32.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ibidem.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Ibidem.

Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. 14.

Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Eccl. 8.

Unusquisque in viam suam declinavit. Isaiæ 53.

Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Osee 4.

Va mundo a scandalis. Matth. 18.

Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Matth. 24.

Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joannes 3.

Mundus me odit, quia testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. Joann. 7.

Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est, diligeret; quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus; Joann. 15.

Non pro mundo rogo. Joann. 17.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Joann. 15.

Confidite, ego vici mundum. Joann. 16.

Pater juste, mundus te non cognovit. Joann. 17.

Regnum meum non est de hoc mundo. Joann. 18.

Nunc judicium est mundi. Joann. 12.

Princeps hujus mundi ejicietur foras. Ibid.

Nolite conformari huic sæculo. Ad Roman. 12.

Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. 1. ad Corinth. 2.

Sancti de hoc mundo judicabunt. 1. ad Corinthios 6.

Secundum elementa mundi. Ad Coloss. 2.

Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus. Ad Philipp. 3.

In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, voluptatum amatores magis quam Dei. 2. ad Timoth. 3.

Immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Jacobi 1.

Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Jacobi 4.

Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Ibidem.

Juxta proprias concupiscentias ambulantes. 2. Petri 3.

Secundum desideria sua ambulantes. In Epist. Judæ.

Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Joann. 2.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Ibidem.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Joann. 5.

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 1. Joann. 4.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento desumpta.

Primi hominis peccatum causa est, & origo omnium vitiorum mundi.

PRæsupponendum semper est, funestam vitiorum omnium, quæ in mundo grassantur, causam proficisci tamquam ex origine a rebellione primis huminis contra mandata Dei; inde enim orta est affectionum perturbatio, appetituum a ratione defectio, & infelix concupiscentia, quæ non aliud est, quam naturalis inclinatio, qua erga sensibilia rapimur bona, & propter quam crebro Creatori creaturam præferimus. Omnia porro hujus vitæ bona in se ipsis innocua sunt; totidem quippe sunt munera, & beneficia divinæ largitatis; malum vero non nisi ex condito affectu, & amore, quo homines illa depereunt, & qui efficit, ut ab illis leges divinæ infringantur. Hæc est scelerum omnium, quæ unquam patrata fuere, & ad sæculorum finem patrabuntur, atque eadem mundum laqueis replevit; omnia enim, quæ ibi videmus, bona totidem objecta sunt, quæ cor nostrum avertunt ab ea fide, quam debemus Deo, totidemque externæ causæ, quæ interiorem fovent rebellionem, atque concupiscentiam excitant, & inflammant, quæ efficit, ut ea omnia scelera committantur, quæ terram inundant, uti inquit Propheta.

Quantum corruptus effect mundus ante diluvium.

In ipsis terrarum primordiis pauci adeo secundum leges, ac rationis lumen vixerunt, ut excepto Abel, & Henoch, paucisque aliis, qui vitæ integri, sceleriscque puri extiterunt, Sacra Scriptura Genes. 6. testetur, reliquum genus humanum fœdissime corruptum fuisse: *omnis caro corruperat viam suam*. Hæc res Deum impulit, ut ea tangeretur pœnitentia, de qua loquitur Scriptura, quod hominem fecisset; eaque illum coegit expiare mundum ab universali labe, qua infectus erat, celeberrimo illo aquarum cataclysmo, qui omnem terræ faciem inundavit, omnesque mortales, qui tunc vivebant, extinxit. Noe unus justus erat cum parva domo sua, quæ octo conflata erat personis, quæ fœdissimam illam cladem evasere, reliquis omnibus aquarum copia præfocatis.

Exemplum Abrahæ Dei jussu patriam, deserentis, docet a corruptione mundo secedendum.

Abraham, qui dives erat, atque multæ auctoritatis in patria, haud hæsitanter illam deseruit, ut in aliam regionem concederet sibi ignotam, & tamquam exilium habendam. Adeo gravis imperii non alia adferri potest causa, nisi quod regio, ubi permanebat, idolorum cultoribus erat plena, ideoque illius erga Deum pietatem, innocuosque mores prævertere poterat. Felix hujus itineris exitus, & benedictiones, quibus deinceps Deus Sanctum hunc Patriarcham cumulavit, palam ostendunt, mundi fugam, ne vitiis, quæ ibi grassantur, coinquinemur, fontem esse, & principium earum benedictionum, quibus eos prosequitur Deus, qui hoc pacto ostendunt, se velle illi fideles esse, & deinceps agnoscunt, non postremam Dei gratiam hanc esse, quod ipsis generosam immiserit mentem relinquendi animo saltem, & affectu eorum societatem, a quibus in eamdem abrepti fuissent calamitatem, si eorum mores, ac sententias secuti fuissent.

Mundi corruptio tempore legis scriptæ.

Lex scripta a Moyse usque ad Salvatoris adventum non aliud præstitit, nisi quod concupiscentiam irritavit; non quod lex mala esset, vel, quod malum est, imperaret; illud enim apertius, quam lex naturæ vetabat: sed quod depravata natura erat quodammodo excitata interdictis, & minis ad faciendum, quod prorsus erat oppositum. Hoc enim non postremum est ex malis effectibus corruptionis, odisse, quod imperatum est, & in vetitum niti, illum eo impensius quærendo, quo apertius, ac severius prohibitum est. Ita videmus legem illam vix latam fuisse, cum tot ferme prævaricatores extitere, quot erant illi, quibus primum fuit irrogata, donec in hujus prævaricationis pœnam ex sexcentis hominum millibus, & ultra qui de Ægypto fuerant egressi, vix duo ingressi fuerint terram, quæ omnibus fuerat promissa. Postquam vero constituti sunt in opima illa mundi parte, ubi Deum suum impensius colere debebant, a quo præ cæteris gentibus electi fuerant, ut essent populus ejus, & ut fidelius propter beneficia, quibus fuerant cumulati, illi inservirent; non magis ei patuerunt, quam barbari, atque Ethnici, qui verum Deum ignorabant. Satis est Judicum, Regumque historias percurrere, ut vitæ eorum innotescant flagitia, ac sexcenta inveniantur exempla corruptionis morum, quæ hic enumerare immensi esset laboris.

Difficile est converti, & bene vivere in mundo adeo corrupto.

Eruditus quidam Interpres quærit, cur Dei populus tamdiu in Ægypto permanserit, quin vero Deo sacrificium offerret? & respondet, hanc fuisse causam, quod animantia, quibus illis pro victimis utebantur, ipsi erant Dii Ægyptiorum, qui passi nequaquam fuissent, illa cuipiam immolari; ideoque discedendum erat ab idololatrarum eorum aspectu, ut Domino cultum tamdiu intermissum iterum instaurarent. Peccator, qui in mundo converti, vel Deo fideliter inservire cogitat, in circumstantiis prope similibus esse dici potest. Ut cum Deo redeat in gratiam, ut frugi, piamque vitam ducat, Deo sacrificare debet, quidquid mundus habet in pretio, amat, & colit, debet abrenunciare volupatibus ejus, sermonibus, moribus, consuetudinibus, atque palam virtutis contra vitium partes suscipere. Sed velle toto inspectante mundo hanc vivendi rationem inire, ab illo discrepare moribus in medio illius, hoc est nimis vehementem infirmæ virtuti persecutionem conflare. Mundus relinquendus est, alioquin periculum saltem subitur in priori sententia perseverandi.

Quid inferendum ex Noe & Loth exemplis, quia sæculi corruptione præservati fuere.

Dicis, Sanctum virum Loth in flagitiosissima urbe viventem se ab omni labe perseverasse, atque in officio permansisse; verum attende exemplum hoc nequaquam suffragari eorum negligentiæ, qui mundi vitam sequuntur; immo e contra illis terrorem debere incutere. Verum quidem est, Loth restitisse Sodomitarum exemplo, qui admirabilis fuit fidelitatis ejus effectus; at nonne hoc funestissimum est humanæ corruptionis argumentum, in tota civitate unum tantum ita fortem, & felicem fuisset, ut illi resisteret? Animos etiam facit exemplum Noe, cujus virtus in generali eniuit corruptione, in quam ævo illius ceciderat mundus; sed potius metuendum est, cum ex omnibus hominibus unus ille se ab omni labe purum servaverit.

In ipso etiam Christianismo non deest mundus fugiendus.

Quamquam verum sit, post Salvatoris adventum mundi faciem mutatam fuisse, & mundum cum placitis ejus Evangelica lege fuisse damnatum: tamen in ipso quoque Christianismo mundus invenitur, qui fugiendus est juxta exemplum primorum fidelium, omniumque Sanctorum, qui sæculis omnibus vixerunt; & nisi re ipsa ab eo separari possumus, quod Cœnobitæ faciunt, saltem moribus: vitæque ratione separari debemus.

Applicationes quorumdam Scriptura locorum huic Argumento.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Joann. 5. Hoc est, nequitia, & improbitate repletus est. Nihil ergo imperare, vel docere potest, quod injustum, & malum non sit; fons enim non alias emittere, quam quas continet, potest aquas. Et sane cum mundi placita opposita sint Jesu Christi præceptis, ille nihil præcipit, quod Dei mandatis non adversetur. Damnat Deus immoderatum divitiarum amorem, hunc mundus probat; Deus humilitatem jubet, mundus superbiam; Deus inimicorum amorem, & oblivionem imperat injuriarum, mundus odium, & ultionem præcipit; Deus pœnitentiam præscribit, ab illa mundus dispensat; Deus ab illicitis abstineri vult volutatibus, & mundus eas licere contendit. Nihil magis contrarium duobus hisce dominis, ideoque Dei filius inquit, regnum suum non esse de hoc mundo.

Salutis periculum, quæ in mundo sunt.

Pluet super peccatores laqueos, Psalm. 10. Propheta inquit, Deum effecturum, ut super peccatores laquei, & retia pluant, ad exprimendam periculorum multitudinem, quæ in mundo est, propter quam æterna salus in discrimen vocatur. Profecto quot laqueos in terra videbat ille, qui eos pluviæ comparat de cœlo ingruenti? Explicite *super peccatores* ait, quia isti parum attendentes cordis sui, sensuumque motus, minimum curantes evitare peccati occasiones, sibi nequaquam caventes, ne in periculum incidant, assidue inter insidias sibi positas incedentes nequeunt non plurima subire pericula. Propter hanc ergo periculorum multitudinem Propheta ait futurum, ut pluant super peccatores laquei; laquei in adolescentia, & senio, laquei in divitiis, & paupertate, laquei in honore, & dedecore, laquei in solitudine, & societate, laquei in prosperis, & in adversis, laquei denique in omnibus sensibus, oculis, auribus, lingua, toto denique corpore; quamobrem tantus est laqueorum numerum, ut exclamet Jeremias 2. 48. laqueis totum terrarum orbem esse refertum.

Cur diabolus dicatur mundi princeps.

Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Joann. 14. Quæritur, cur diabolus mundi princeps vocetur; cum hunc Deus creaverit, & potentia sua ex nihilo eduxerit, eumque sapientia, ac providentia sua dirigat? Sed facilis patet responsio, si cum Sancto Augustino supponamus, per hunc mundum illos intelligi, qui mundum amant, qui illi inhærent, eumque veluti felicitatis suæ centrum respiciunt. Dæmon autem merito princeps hujus mundi vocatur, quia hoc illius regnum est; in corde improborum Dei, hominumque hostis imperitat, eosque veluti Deus gubernat, quandoquidem ab Apostolo *Deus sæculi* dicitur. Hic eos movet, & agit, quo vult, suggestionibus suis, quemadmodum per spiritum gratiæ suæ efficit Deus, ut justi operentur. Verbo, Sanctus Joannes ait, totus mundus, hoc est, impii sunt sub intamis hujus tyranni dominatu, qui eadem de causa princeps etiam tenebrarum appellatur: hoc est peccatorum, qui ex Divo Augustino lib. 1. de nat. & grat. cap. 12. tenebrarum nomine vocantur, quia in ipsis extinctum est lumen gratiæ, & quia ambulantes in tenebris non aliud facere possunt, quam opera tenebrarum. Ad hoc illos sollicitat dæmon ipsorum dominus, & magister, qui eos vinctos tenet tamquam misera mancipia affectuum catenis, qui eos trahit, & de scelere in scelus proturbat.

Cavendum; ne mundi sensibus decipiamur.

Videbitis in Babylonia Deos aureos & argenteos, &c. Baruch. 6. Maximum, quod in mundo inveniatur periculum hoc est, corrumpendi spiritum fallacibus ejusdem opinionibus, quæ prorsus oppositæ sunt salutis nostræ principiis; per quas cum semel depravatum fuerit judicium, fieri non potest, quominus vita, & actiones penitus depraventur: *Videbitis in Babylonia*, ajebat ille ad Judæos scribens, qui erant captivi, *Deo aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari ostentantes metum gentibus; videte ergo, ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis: Visa itaque turba de retro, & ab ante adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari, Domine*. Hoc ipsum illis dico, qui in mundi commercium ingressuri sunt. Videbitis in mundo homines adorantes idola, videlicet voluptates, opes, vanitates, videbitis ibi vitium in honore habitum, contemptam virtutem; audietis sententias huic corruptioni, quam Dæmon invexit, conformes; cavete, ne multitudinis exemplo corrumpamini, atque ad hunc effectum sæpe meditamini vera Christianæ religionis instituta, æternas veritates, quas mundus cognoscere non vult, & quæ numquam muta-

mutabuntur: eas fortiter mentibus vestris imprimere, ut contra exemplum, & nefaria mundi placita ad illas confugiatis.

Mundus Babyloni collatus, de qua sermo in Apocalypsi.

In fronte ejus nomen scriptum: mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Apocal. 17. Mundus illa est Babylon, quam Sanctus Joannes in Apocalypsis vidit bestia insidentem, plenam nominibus blasphemiarum, manuque gerentem aureum vas plenum sbominationum, ac impuritatum fornicationis suæ, quæ nihilominus in fronte hoc scriptum habebat nomen, *Mysterium*. Quid hoc! Quomodo mysterium, & blasphemia conveniunt? Mysterium est res sacra, blasphemia vero res impia. Hoc significat in mundo omnia mysteriis esse plena: omnia ibi cum simulatione fiunt, & fœdissima quoque vitia fronte virtutis colorem gerunt. Hæreticus, exempligratia, pravæ doctrinæ suæ virus conatur effundere, hæc blasphemia est, sed impium consilium sub veterum Patrum, Scripturarumque doctrina celat: hoc est mysterium &c.

Mundi leges Jesu Christi oppositæ.

Quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? 2. ad Corinth. 6. Cum tanta sit inter Jesum Christum, & mundum, veritatem, & mendacium, virtutem, & vitium, Deum, & dæmonem oppositio, liquido patet, nos mundo adhærere non posse, quin Jesum Christum relinquemus, quæ enim ratio esse potest Salvatorem inter, & Belial, fidelem, & infidelem? Hæc tamen simul in mundo plurimi conciliare contendunt putantes, se mundi mores sequi posse, & nihilominus veros esse Christianos. Profecto nonne mirum est, cum Evangelium prædicantes invehimur contra odium, diffidia, inimicitias, atque docemus necessitatem diligendi inimicos, & injurias dimittendi, adhuc nobis obtrudi? Ita est: verum nisi acceptas injurias persequerer, si parcerem inimico, quinam esset mundi sensus, quid ille diceret? Cum vestium, mensæque luxum damnatus, dicunt hanc consuetudinem, hunc morem esse mundi &c.

Exiguus bonorum qui in mundo sunt numerus, & multitudo scelerum, quæ ibi patrantur.

Deus de cœlo prospexit, ut videat, si est intelligens, ac requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psalm. 52. Quis credere posset hanc veritatem, nisi illius auctor esset Deus per Prophetam suum, in tanta mortalium multitudine in toto degentium mundo, ne unum quidem inveniri, qui faciat bonum? Proculdubio hoc ad litteram intelligendum non est; sed hinc percipere debemus, si qui justi viri in mundo inveniuntur, adeo raros esse, & numerabiles, utpote paucos, ut vix unus possit deprehendi. Illud vero magis mirum est, quod post allata verba idem Propheta horribilem habet descriptionem abominationum, quæ committuntur in mundo, qui fere impiis hominibus constat.

Omnis Christianus mundum vincere tenetur, & in quo.

Omne, quod natum est ex Deo, vincit Mundum. 1. Joann. cap. 5. Non satis est fugere mundum, eumdem vincere opus est. Omnes filii Dei, hoc est omnes veri Christiani de mundo victoriam debent referre; hæc enim victoria, S. Bernardus ait, filiationis nostræ argumentum est: *Testimonium cœlestis generationis victoria mundi*. Mundum vincere debemus trium exercitatione virtutum, quæ contrariæ sunt tribus vitiis, quæ mundo quodammodo sunt essentialia. Primum est impietas in Deum; mundus enim fautores suos adducit in oblivionem Dei, atque negligentiam in iis, quæ pertinent ad religionem. Vitium secundum est injustitia, & crudelitas in proximum; quod vincendum est eo spiritu charitatis, qui essentialis est Christiani character, & quo jubemur proximum tamquam nosmet ipsos diligere. Tertium denique est inordinatus sui corporis amor; quandoquidem juxta D. Pauli sententiam vivere non possumus secundum carnis affectiones, qui spiritui Christianismi moriamur.

Mundum amare non possumus, quin per eamus.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Joann. 2. Illi solum, qui mundum oderunt, aliqua cum securitate in mundo permanere possunt. Numquam propter eam illecebram, & oblectationem, quam ibi reperimus, illic permanemus, quin omnibus obnoxii malis simus, quæ ille nobis potest inferre; atque verissimum est, illum veneno inficere, ac lethale vulnus infligere illis, qui ita infirmi sunt, ut ejus amore capiantur. In mundo infiniti sunt scopuli, & syrtes, quæ illius navigationem fere semper periculosam efficiunt, & propterea Sancti, qui rerum veritatem intelligebant, dixere, eos, qui inde aufugiunt, tamquam ex naufragio liberari.

Mundi cum mare comparatio.

Ecce motus factus est in mari. Matth. 8. Mare naturale est mundi symbolum; & vita hominis super terram non aliud est, quam in procelloso mari navigatio. Sive spectetur, quod intra hominem sit, seu quod illum undique circumdat, videbitur perfecta periculosi maris imago, ubi in singula momenta naufragium metuendum est. Monstra, quæ in mari sunt, abyssi, & scopuli, quos celat, rapiditas, jugisque fluctuum ejus agitatio, ad unguem nobis exhibent humani cordis vitia, affectus, perpetuamque inconstantiam. Piratæ, quibus obsidentur maria, procellæ, quas cœlum ciet, nonne totidem figuræ sunt plurimorum inimicorum, qui hominis excidium expetunt, & malorum, quæ merito irritatum cœlum in illos immittit?

Quid est mundus, & quid hoc nomine intelligendum.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Joann. 5. Quinam est hic mundus, qui totus corruptus, ac perversus est, & quem Jesus Christus toties in Evangelio sua maledictione percussit? Hic mundus, S. Augustinus ait, est congregatio omnium, qui inordinate diligunt mundum, & qui per cæcum amorem, quo illi adhærent, in mundum quodammodo sunt transformati: *Amatores mundi, qui amando mundum, dicti sunt mundus*. Hic mundus illud omne est, quod in cordibus nostris locum tenet, quem Deus unus ibi debet occupare; non enim deest subtilis, delicatusque mundus pro iis etiam, qui pietatem colunt, quemadmodum crassior mundus est pro sæculi sectatoribus. Horum mundus est servorum numerus, ædium magnificentia, supellectilium pretium, Principum gratia, fulgor dignitatum, plausus populorum, voluptatis illecebræ, illusiones honorum. Illorum vero imperceptibilis sui ipsius perquisitio, in devotione parum sedula diligentia, divinarum rerum fastidium, simultas cum proximo, singularis vivendi ratio, in officiis suis obeundis remissio, amor proprius, qui sese rebus omnibus immiscet, tenax proprii sensus amor, spiritus singularitatis. Hic mundus est; videlicet, hæc ratio, qua mundi sectatores operantur.

Signa ex quibus cognosci potest, utrum mundus amatur.

At enim quomodo agnoscam, utrum diligam mundum? Hoc nihil facilius: exempli gratia, tu, qui in mediocri conditione vivis, eane sæpe concupiscis bona, quæ minime possides? Quærisne quomodo emergere, & ditescere valeas? Repulsas conditionis tuæ mediocritati inhærentes æquone animo fers? Ob ea quæ tibi prospere accidunt, immoderatane te efferri lætitia sinis? Pateris, pomparum sæculi externa specie tuos oculos capi? Paratusne es, ut acceptionem divitiis cum pauperis detrimento facias? Secrete contemnis eos omnes, qui obscuro in loco sunt, atque ignobiles? Ambitionem, & cupiditatem tuam illis inspiras, qui accedunt ad te? In ministerii prorsus spiritualis exercitatione humanas rationes admisces? Si hoc est, dic, te diligere mundum, hoc subtile venenum amoris sæculi omnem massam corrumpere, totumque vitæ tuæ corpus inficere . . . . . Attamen quid frequentius, & vulgatius, quam hujus characteris fideles? Homines duplices, & inconstantes, ut Sapiens ait, pietatem omnem in hoc statuentes, ut a gravioribus flagitiis abstineant, & sine ullis conscientiæ stimulis sibi permittentes ea, quæ mundi consuetudine, urbanoque vivendi genere probantur; clam insatiabili honorum, & divitiarum cupiditate flagrantes, penitusque mundi amore succensi? *Idem*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Nomine mundi intelliguntur, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi. Augustin. Tract. 107. in Joannem.

Homines mali mundus vocantur, inde acceperunt nomen: ex eo quod amant. Idem, Serm. 28. de temp.

Non pro mundo rogo, id est, pro eis qui vivunt secundum concupiscentiam mundi. Idem.

Vis non esse inimicus Dei? noli esse amicus mundi. Idem, in Psalm. 91.

Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus; magis cavendus cum se allicit diligi, quam cum admonet, exigitque contemni. Idem, Epist. ad Diofcorum.

Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? Hieronymus in Epist.

Latam viam non quærimus, nec inventione opus est, sponte se offert, est erranticum via. Idem, in c. 7. Matth.

Fuge sæculi mare, & naufragium non timebis; in mari serventibus ventis, est non omnium naufragium, omnium tamen periculum est. Ambros. lib. 4. in cap. 4. Lucæ.

Quis inter tot passiones hujus sæculi, inter tantas illius illecebras, tutum & intemeratum servare potest vestigium? Idem, lib. de fuga sæculi cap. 1.

Qui salvus esse vult, supra mundum ascendat, fugiat hunc mundum, terras relinquat. Idem, ibidem.

Via perditionis spatiosa, quia intra regulam disciplinæ non inclusa. Chrysostomus.

Mari juste comparatur hic mundus, quia fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur. Cassiodorus, in Psalm. 44.

Plena omnia periculis, plena laqueis; incitant cupiditates, insidiantur illecebra: blandiuntur lucra, damna deterrent. S. Leo, Sermo 5. Quadragesimæ.

Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis, illa elevant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Idem, Serm. 11. Quadragesimæ.

Mundus est ubi malitia plurimum, ubi sapientia modicum, ubi omnia viscosa, omnia lubrica sunt, omnia operta tenebris, & obsessa laqueis; ubi periclitantur animæ, ubi omnia vanitas, & afflictio spiritus. Bernardus, in Serm.

Flagrant ubique delicta, & passim multiplici genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Cyprianus, Epist. ad Donatum.

PARAGRAPUS V.

Quæ ex Theologia fontibus hoc in Argumento valeant hauriri.

Quid sit mundus eo in sensu quo istic accipimus.

PEr hoc mundi nomen cum Sancto Augustino illi omnes intelligendi sunt, qui res hujus mundi amant, qui mores mundi sequuntur, qui illius placita tuentur, qui falsa illius bona inquirunt, qui spiritu illius vivunt. Ideo ut justa mundi hujus definitio tradatur, contra quem Salvator tot ejaculatur maledictiones, dicendum est, esse societatem impiorum, qui vitam ducunt legibus, & Evangelicis institutis prorsus oppositam. Ubi animadvertendum est hoc etiam in sensu mundum bifariam intelligi posse. 1. Pro inordinato opum, honorum, & voluptatum amore, quæ tres concupiscentiæ omne illud componunt, quod mundus nequam vocatur. 2. Mundus accipitur pro fallacibus, erroneisque illius opinionibus, dolosisque principiis falsæ hujus sæculi sapientiæ, quam Sanctus Jacob terrenam appellat, quia terræ bona respicit; animalem, quia tota vacat inquirendis voluptatibus, quæ nobis sunt cum brutis animantibus communes; diabolicam, quia sequitur superbiam, & vanitatem diaboli propriam.

Mundum omnis Christianus fugere tenetur.

Cum omnes Christiani abrenuntiaverunt pompis, & vanitatibus mundi per baptisma, & alioquin minime jubeantur a Deo omne hominum commercium deserere, ut in solitudines se recipiant, inferendum est, in ipso etiam Christianismo quemdam esse mundum fugendum: neque enim vana promissio est, quæ fit in baptismo, sed ad aliquid obligat. Hic autem mundus a nobis fugiendus nonne sunt sodalitates, cœtusque illi, ubi vanitas dominatur, ubi omnes placere quærunt, ubi omnes illum componentes voluptatibus indulgent, ubi nulla ferme capitur voluptas, quæ culpa vacet, ubi denique de iis omnibus gloriantur, quorum pudendum esse docet natura?

Esse de hoc, de quo loquimur, mundo est esse de numero reproborum.

Liquet esse de hoc mundo, qualem modo delineavimus, idem esse, ac in numero reproborum esse, atque illum amare, ac se Dei inimicum profiteri unum esse, & idem, quandoquidem non obscure locutus est Deus; *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Jacobi 4. Verum quæritur, utrum liceat cum illo inire familiaritatem, versari cum illis, qui eum componunt, eorum cœtibus interesse, quin propria innocentia, ac salus in discrimen adducatur. Ut huic respondeatur quæstioni, dicendum non est, eos omnes, qui in mundo sunt, voluptuosos, lascivos, maledicos, impios esse; verum dicere possumus, eos omnes, qui hisce vitiis mancipati sunt, esse de hoc mundo. Hoc posito, quin illud quæratur, utrum aliquid ibi metuendum sit saluti, quærendum potius esset, utrum ulla sit credendi ratio, aliquem ibi ullo modo salvari posse, cum affidua ibi sint pereundi pericula, proximæque peccati occasiones.

Omnes homines generatim tenentur mundo abrenunciare, & illum odisse.

Pro certo tenendum est, quod ipse Dei filius nos docuit, omnes generatim debere sese a mundo separare, mundi spiritum relinquere, Deum ita diligere, ut præsto sint, ut illi quidquid habent bonorum, cognatorum, amicorumque sacrificent, quasi hæc nullo in discrimine essent habenda, vel potius etiam odio essent digna. Hoc autem non ad religiosos tantum spectat, qui re ipsa mundum reliquerunt, ut sese penitus Dei cultui devoverunt, sed ad omnem mortalium conditionem: quod nihilominus, ut de præcepto sit, semper intelligendum est de cordis, & affectionis, non autem semper de effectus abrenuntiatione, quæ dumtaxat consilii est.

Quinam sunt, qui mundi spiritu operantur.

Mundi spiritu agentes illi sunt, qui concupiscentiæ suæ tantum motus sequuntur, quæ quidem omnino opposita est spiritui, & legi Salvatoris. Dei filius, exempli gratia, imperat humilitatem; mundus e contra superbiam diligit. Dei filius præcipit paupertatem; mundus vero magnificentiam, luxum amat, atque in superflua impendit, quidquid necessario pauperum victuri debetur. Dei filius nobis commendat mortificationem, & pœnitentiæ exercitia; mundus vero sensuum voluptates inquiruntur, ludunt, ridentque, quasi tota Christiana religio, quæ illi æternam minitatur pœnam, fabula esset, & nullus vel Infernus esset, vel Paradisus. Mundi spiritus hic potissimum est. Hæc amare est mundum amare; & amare mundum est fieri Dei inimicum.

Quid sit concupiscentia, quæ regnat in mundo.

Concupiscentia, de qua toties incidit sermo, in principio suo considerata non aliud est, quam humani cordis per peccatum depravatio; sin autem in objecto spectetur, sunt terrena omnia, in quæ per hanc naturæ pravitatem ferimur. Hæc tentatio mundi vocatur, vel sæculi corruptio, quæ non aliud est, quam amor mundi, rerumque temporalium, cujus generis sunt honores, opes, ac sensuum voluptates. Vita vero mundana in hoc posita est, quod his rebus omnibus frui velis, & ex corde tuo ejicias amorem Dei, ut illa ames, & in iis gaudium, & felicitatem invenias, necnon tuam requiem constituas. In hoc autem consistit vitium, peccatum, injustitia, iniquitas, & id, quod proprie omnium mundi malorum est causa.

Mundi amor idololatriæ species est.

Ex inordinato hoc amore mundi, & ex hac sæculi corruptione profecta est impietas, & idololatria. Carnales enim homines creata depereuntes, deinceps, (juxta illud S. Augustini effatum, id videlicet coli, quod amatur) illis eum præbuere cultum, qui vero Deo tantum debetur. Et ne de infidelium idololatria loquamur, quæ crassa erat, atque aperta, quis ambigit, quominus eorum ex fidelibus, quos S. Augustinus mundi amatores appellat, vita vera sit idololatria, sed magis exquisita? Terrena enim, quæ illi sibi tamquam affectionum suarum objecta proponunt, totidem idola sunt, ac falsa numina, quæ cum Dei contemptu ipsi colunt, creaturæ potius, ut inquit Apostolus ad Ephes. 5. quam Creatori servire gaudentes. Hoc in sensu Apostolus *ad Philipp.* 3. avaritiam *idolorum servitutem* appellat, & ait, helluones, suoque abdomini natos ventrem habere pro Deo: *quorum Deus venter est.* Quamobrem Sanctus Chrysostomus *homil. in Epist. ad Rom.* inquit, Ethnici idololatriam minimum differre ab idololatria Christiani hominis, nisi quod altera hæc priori est longe nocentior.

Cur Dei filius noluerit orare pro mundo, & cur illum jam damnaverit.

Corruptus hic mundus, cujus placita Evangelicis legibus sunt adeo opposita, ille est mundus infelix, pro quo Jesus Christus non orat, quemadmodum ipse testatur; quasi diceret, se ita illum excommunicasse, ut nolit eum participem fieri meritorum suorum, ac de eodem ita actum esse, ac si pro illo nullus esset Redemptor. Non necesse est hic repetere, pro mundo illos intelligi, qui frequentiorem illius partem efficiunt, qui mundi leges constituunt, naturæ corruptæ legibus adhærentes. Hi sunt exortes orationum, & meritorum Salvatoris, tamquam hic non venisset, ut illos salvos faceret, & qui ideo damnati sunt, donec in mundo sunt. Verum quid? Nonne Jesus Christus pro illis etiam est mortuus? Nonne Christiani sunt? Nonne quotidie gratias recipiunt, quas nonnisi per hujus Salvatoris merita recipere possunt? Esto: sed quamvis omnia pro illis etiam operatus fuerit Jesus Christus, hæc ad eorum salutem minime profunt, donec in mundo sunt; quia hoc in statu non considerantur aliter, quam in statu peccati, & veluti inimici Dei.

Non, aliis sit saluti nostræ maris periculosus inimicus, quam mundus.

Hæc apertissima veritas est, nullum esse saluti nostræ magis periculosum inimicum, quam mundum; hic Dei, & Jesu Christi inimicus est; & omnes simul dæmones non eadem facilitate, qua mundus, nos ex Jesu Christi corde divellent. Mundi igitur sapientia consideranda est tamquam pseudo-Evangelium, videlicet tamquam doctrina Sapientiæ Christianæ, & doctrinæ salutis opposita. Hinc inferendum est, nos esse non posse de mundo, quin Jesu Christo profitenti se de hoc mundo non esse abrenunciemus: *Ego non sum de hoc mundo.* Joann. 8. Præsertim vero cordibus nostris alta infigenda est terribilis hæc Salvatoris sententia: *Vos estis de hoc mundo: ideo dixi vobis, quia in peccatis vestris moriemini.* Joann. 8.

Pauci in mundo servantur innocentiam.

Possumus in mundo esse, quin illius voluptates, & fortunas amemus; sed solus aer ita periculosus est, ut animæ, quæ magis sunt innocentes, sanctæ, fortesque, ægre se ab illius impressionibus tueantur, & longe pauciores sunt, quam vulgo credantur illi, qui hanc servent integritatem, quam Deus ex vero Christiano requirit.

PARA-

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Flagitiorum mundi descriptio ex S. Cypriano desumpta.

SAnctus Cyprianus disponere volens Donatum necessarium suum ad mundi contemptum supponit, quod cum in montis cacumen una cum ipso evasisset, inde illi omnia ostenderet maria, terras omnes, foros, conspicata, ac tribunalia, & hæc omnia sexcentis peccatorum, & iniquitatum generibus redundantia, ut postquam ille propriis spectasset oculis mala gravissima, quæ in mundo fiunt, intelligeret, quantum odisse deberet illum, & quam multas agere teneretur Deo gratias, quod ipsum illinc eduxisset. Factum hoc imitamini; eumdem hunc montem conscendite, oculos circum agite, videte plateas, trivia, emporia, locos commercii, & negotiationis; ibique tot vitiorum mendacia, calumnias, dolos, perjuria, furta, invidias, assentationes, potissimum vero tantam Dei oblivionem, propriæque salutis negligentiam, ut ingentem hanc rerum omnium subversionem satis mirari non possitis. Videbitis plerosque mortalium affectionum suarum vim sequi, quin vel officii sui, vel rationis leges considerent; similesque Ethnicis nullam Dei cognitionem habentibus putare, nihil ultra vitam, & mortem inveniri. Videbitis innocuos male habitos, fontes absolutos, bonos contemptos, improbos vero in pretio, & honore habitos. Videbitis pauperes, & humiles conculcatos, & gratiam virtuti præstantem. Videbitis venum ire justitiam, contemni veritatem, exulare pudorem, ac in omnia statuum genera invehi flagitia. Videbitis homines hominum vix figuram habentes maximi momenti munera obire. Videbitis tandem argentum in mundo plures cultores habere, quam ipsum Deum; videbitis plerasque divinas, humanasque leges avaritia corrumpi, ac variis in locis nihil nisi umbram, & nomen justitiæ superesse. *Granatensis in duce peccatorum cap.* 28. §. 5..

Alia mundi desumptio.

Quinam ergo est hic reprobus mundus, quem odisse statim ac per gratiam estis regenerati, & quem toto vitæ cursu horrere debetis? Ut illum vobis exhibeam, satis est dicere, illum ipsum esse, quem diligitis. Mundus procellosum est mare, in quo desideriorum suorum auram sequens magna fertur peccatorum multitudo, quorum omnis cura, & labor est vitæ hujus bona inquirere, & evitare mala, quorum conatus eo tendunt, ut sibi in arena solium constituant; quorum spes non finem habet, quam fluxorum hujus vitæ bonorum perfruitionem; qui non aliam quærunt felicitatem, quam fallacem lætitiam, & voluptates, quibus fatigantur. Mundus monstruosa est congregatio partium, quæ se invicem laniant, quæ se contemnunt, sibique invident, sine charitate, sine probitate, sine bona fide. Mundus est regnum temporale, ubi Jesus Christus non agnoscitur, de quo se non esse, pro quo se non orare ipse profitetur. Mundus acervus est impiorum, flagitioforum, qui Evangelicas veritates credere detrectant, quia suis non adversantur affectionibus, qui Salvatoris institutis contradicunt, qui illius mysteria contemnunt, qui ejus ignorant præcepta, & Sacramenta profanant. Denique mundus, ut omnia verbo complectar, est magnus numerus, qui usus illius sequitur; ille mundus, quem in baptismo detestari incœpistis, & quem vos indesinenter damnaturos, & oppugnaturos jurastis. Mundus est crucis, & Evangelii Jesu Christi inimicus, quem odisse debetis, atque salutis vestræ negotio semper postponere. *P. Massillon, sermone de exiguo electorum numero.*

Ubi est mundus cui abrenunciare debemus.

Deus nemini necessitatem indixit mundum relinquendi, ut religiosam vitam amplectatur; negari tamen non potest, mundum esse in ipso mundo, cui omnes fideles abrenunciare tenentur. Inter nos est mundus a Deo reprobatus, & maledictus; mundus, cujus Dæmon dominus, & princeps est; mundus, pro quo Salvator suas preces non obtulit Patri; mundus denique, quem semper Jesus Christus contempsit, & a quo semper contemptus fuit. Sed ubinam inveniemus hunc impium, & calamitosum mundum? quinam sunt loci, ubi mortales illum componentes congregantur? Ex vobis hoc quæro, qui illum tamquam idolum adoratis. Non aliud dicere possunt, nisi hunc ibi esse, ubi vanitas, superbia, mollities, incontinentia, impietas; ibi est, ubi Evangelii mandata negligunt, & ubi homines gloriæ sibi vertunt viam prorsus oppositam sequi. Vestrum est videre, ubi hæc omnia flagitia inveniuntur: sed ubicumque inveniantur, certum est, quod esse de hoc mundo, & non esse ex prædestinatorum numero, unum est, atque idem. *Pater de la Colombiere in Considerationibus.*

Alia flagitiorum hujus mundi descriptio.

Opus non est, nos sublimem illum montem conscendere, super quem S. Cyprianus ducere cupiebat Donatum amicum suum, ut illi horribilem ostenderet mundi faciem omnibus, quæ fingi possunt, criminibus inquinatam: *Flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur.* Ibi videtis insontes oppressos, absolutos fontes, bonos contemptos, malos in honore habitos, pauperes, humilesque conculcatos, justitiam plus offerenti prostantem, veritatem fuco illitam, scelera, & flagitia in omnibus statibus, plerasque divinarum, humanarumque rerum perversas. Deus, cujus oculorum acies toto cœlo nostra tutior est, per Prophetas nos docet, se in mundi hujus Babylone nihil nisi avaros, superbos, detractores, impudicos, fures, homicidas videre; verbo, ut ait *Oseas cap.* 4. sanguinem sanguine tangi; *Sanguis sanguinem tetigit*, hoc est, peccata peccatis agglomerari, quemadmodum aquæ guttas, ut fluvios efficiant; atque magno hoc iniquitatis, & maledictionis torrente universam terræ faciem inundari: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt.* Quid videtur in mundo, nisi Dei, æternitatis, sacrarumque rerum omnium altissima oblivio, crassa propriæ salutis incuria, jugisque in vanitate, ac scelere occupatio? Quid videtur in mundo, nisi insatiabilis avaritia, rabida possidendi fames, quæ efficit, ut nulla non adulteretur conscientia, nulla non infringatur Dei lex, nulla non violetur justitia, nullus non prodatur amicus, nullus non derelinquatur, & pecuniæ posthabeatur affinis? Quid in mundo videtur, nisi teterrimæ detractiones, atroces calumniæ, meditatæ contumeliæ? Mundi sectatorum os est sepulcrum semper patens, ut integrarum familiarum devoret existimationem: *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Psalm. 5. Quid tandem in mundo videtur, nisi adeo effrænata impudicitia, ut adulteria pro fortunatis eventibus habeantur? Impudicitia adeo cæca, ut neque fœdissimis morbis, neque familiæ excidio, neque honoris jactura, neque conscientiæ stimulis, neque inferni metu valeat deterreri. Neque hanc oratoriam exaggerationem putetis; hæc probatio est, & explicatio horum S. Joannis 1. *Ep.* 5. verborum: *Mundus totus in maligno positus est.* Totus hic execrabilis mundus constitutus est, hoc est, absorptus in nequitia, & peccato: *P. Taxier, sermone pro feria secundam post secundam Quadragesimæ Dominicam.*

Inter mundi, & Dei sequelam nihil medium.

Sunt in mundo impii omni vitiorum generi dediti, qui gloriantur se esse de mundo; sunt & alii, qui honesti vocantur, quibus tantus non est animus, ut sedulo sequantur Evangelium, & qui mundi placita cum Jesu Christi mandatis conciliare conantur. His illa Jesu Christi annuncio verba: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Joann. 8. Vos de mundo estis, ego non item; vos estis de terra, ego autem de cœlo. Vestra vos ergo fallit opinio, o fideles, cum medium inter hæc duo adeo contraria vultis invenire. Medium hoc commentitium, & nullum est: *Telle de medio, quid medium admisces?* ait S. Bernardus: Detestare commodam hanc viam, quæ Dæmonis est adinventum, ut te perdat, quia Dei maledictiones conflat in illos, qui sequuntur eam. *Va duplici corde.* Eccli. 2. Væ illi, qui cum unum a Deo, illud totum petente, cor acceperit, hoc partiri vult, ac partem mundo, alteramque partem Deo vult præbere. *Va ingredienti duabus viis.* Væ illi, qui simul per duas vias adeo sibi oppositas ingredi cupit. *Idem in sermone quarta quarta Dominica post Pascha.*

In mundo nullæ sunt viæ, quæ adducant ad Deum.

Quomodo fieri posse videtur, quod per mundi vias ad Deum pergamus, cum in illis, ut Sanctus Bernardus ait, plurimum nequitiæ sit, & parum sapientiæ, cum ibi omnia plena sint laqueis ad perdendos mortales, cum omnia ibi lubrica sint, tenebris cooperta, retibus circumsepta, cum ibi animæ in perenni naufragii periculo versentur; omnia vanitas sint, & afflictio spiritus, omniaque in tanta, & adeo manifesta corruptione, ut S. Augustinus admiretur, nos falli a mundo posse, cum hic omnes amiserit illecebras, quibus ad nos fallendos poterat uti: *Mundus iste jam amisit speciem seductionis.* Atque ut huic descriptioni aliam præbeamus lucem, dicamus, mundum vastum esse Oceanum, in quo inveniri non potest ulla semita, quæ adducat ad Deum. Sapiens dicebat tria sibi difficilia esse ad intelligendum, vestigium aquilæ in aere, serpentis in terra, & navis in mari. Sed quam difficilius est, in procelloso mundi hujus pelago invenire viam, quæ directe ducat ad Deum? Errores, & mendacia, vitia, & affectiones ibi affiduas excitant tempesta-

pestates, quibus omnes teguntur viæ; & si qua forte invenitur, similis est angustis semitis, quæ nonnumquam videntur in arena, quæ in litore maris est, quam æstus delet, ita ut ne ullum quidem vestigium relinquat, & quas sequi nemo potest, quin sese periculo objiciat in abyssum proruendi. *Sermones Christiani pro quarta Dominica post Pascha.*

Moraliter impossibile est in mundo salvari.

Illud vero mundanorum societatem magis efficit deplorabilem, quia mundus illos in hac vita facit infelices, ut in altera eos in æternum miseros reddat. Hoc enim ipsius Jesu Christi oraculum est, pro fide a Christiano quovis habendum, moraliter impossibile esse in mundo salutem suam operari. Ut salvemur, crucem feramus oportet; quonam vero modo hoc munere defungi possumus in Christianismo, ubi Crux non minus infaniæ objectum est, quam olim Ethnicis fuerit? Ut salvemur, nosmetipsos abnegemus oportet; quonam vero modo hoc fieri potest in mundo, ubi quilibet sibi satisfacere quærit, ubi voluptates non intermittuntur, nisi quoad defessæ vires reparentur? Ut salvemur, humiles simus oportet; quomodo vero esse in mundo possumus, ubi non alius Deus est, quam superbia; & ambitio? Ut salvemur, opes necessario sunt deserendæ, sin minus re, saltem animo, & corde; quomodo vero in mundo possunt deseri, ubi omnes industriæ vires impenduntur, ut terræ bona acquirantur? Verbo; quomodo Jesum Christum imitari possumus in mundo, cum hic illius sit infensissimus hostis, eique rebus in omnibus adversetur? *Specimina sermonum pro Dominicis, primo Quadragesimæ Dominica.*

Mundus a Jesu Christo reprobatus quinam sit.

Certum est inter ipsos etiam Christianos mundum esse, qui Christianismi est inimicus, & quem reprobat Jesus Christus. Hic ille mundus est, qui Deum ignorat, ut S. Joannes ait, & Dei filium odit; quemadmodum ipse filius Dei queritur: *Mundus me priorem vobis odio habuit.* Joann. 15. Hic mundus, licet in speciem Christianus videatur, Dæmonem habet principem, & caput: ex reprobis constat, & eum precum suarum participem mundi Salvator esse recusat. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Joann. 17. Hic ille mundus, quem ipse vicit Salvator, & sua cruce confudit; quem S. Paulus respiciebat tamquam sceleste supplicio damnatum, affectumque propter scelera ipsius, contra quem sancti omnes bellum intulerunt, & qui sanctos omnes persecutus est. Luce igitur meridiana clarius patet, quod esse de hoc mundo, & de reproborum numero esse, illum amare, & se Dei inimicum profiteri, unum & idem est: *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Jacob. 4. *Pater de la Colombiere, sermone 57. de mundi euga.*

Salvari possumus viventes in mundo, qualis hodie est.

Vultis ne libere dicam quod sentio? mea sententia est, fortasse non esse absolute impossibile, ut aliquis in mundo innocuam vitam traducat, verum ad id plurimis opus esset curis. Oporteret adeo jugi vigilantia uti, tot, & tam gravia sustinere prælia, ut in austerissima vitæ ratione instituenda multo leviori labore opus sit. Ita est, Auditores, nulla est tam horrida solitudo, nullus labor seu corporis, seu mentis, quem libentius non subirem, quam cogeret in mundo vivere eo modo, quo scio, & quo ibi vivendum esse cognosco, ne in interitum ruerem. Si in mundo tuti sumus, ubi quæso salus nostra potest periclitari? In ipsis quoque cœnobiis metuendum est, unde omnes exulant occasiones, & ubi sexcentis protegimur vallis contra dæmonis artes; & nos eo in loco tntos existimabimus, cujus omnes aditus patent, & ubi infinitæ numero sunt peccandi occasiones? Proh Deus, dubitatur adhuc; utrum difficile sit innocuam ducere vitam ibi, ubi videmus, omnes difficultates, quæ opponi possunt vitæ integritati, omnes palam esse congregatas.

Crimina in mundo regnant.

Crimina, quibus homines sunt obnoxii, ita in mundo regnant, tantamque ibi tyrannidem exercent, ut nemo illa audeat impugnare, unusquisque illa probet, revereatur, immo etiam commendet. Quin appareant tamquam vitia, quæ corrumpunt homines, & damnant, nihil nisi nobilitatem habent. Eadem libertate, & securitate patrantur, ac si nihil dedecoris haberent, immo in illis inventur, unde mortales glorientur. Isti peccatores sunt, qui iniquitatem sicut aquam bibunt, ut loquitur Scriptura; sed eam aureis bibunt cymbiis, & tanta cum jucunditate, ac voluptate, ut ne sentiant quidem venenum, quod ibi continetur; cumque hoc eorum improbitatem nequiorem efficiat, hæc in omnes eorum actiones effunditur, atque in eorum usque præcordia mortem infert. *De Sancta Martha, tractatu de necessitate fugiendi mundum.*

Crimina qui-

Verum est, eos, qui in mundo sunt, nequaquam adigi, ut explicite Jesum abnegent, & idolis adoleant thura; sed ratio vivendi, & placita, quæ ibi vulgo regnant, cogunt illos, abnegare Crucem Jesu Christi vita voluptatum, fastusque refertissima, crucifigere hunc ingenti peccatorum numero, & ejus sanguinem indignis confessionibus, & communionibus conculcare. Hæc eosdem cogunt animam suam ambitioni, assentationi, terrenisque utilitatibus immolare; ac illos ita potentibus personis, ex quarum nutu omnis illorum pendet fortuna, subjiciunt, ut multo magis his, quam Jesu Christo pareant, illos adorent, eisque placere, ac mortem gerere, quam divinæ majestati malint obtemperare. Sufficit autem, non esse hoc pacto idololatram, ut mundi amatores te contemnant, vel persequantur. *Idem.*

Mundus est maxime terribilis nostræ salutis inimicus.

Mundus est maxime terribilis nostræ salutis inimicus, ex eo quippe alii præcipuas vires mutuantur. Mundi nitens forma dæmoni fallaces ministrat illecebras, quibus animas seducit, atque corrumpit; mundus carni validissima suppeditat arma, quibus utitur, ut spiritui bellum inferat fatalibus voluptatum illecebris, quas objecta omni arte compta, omnique nitore fulgentia exhibent nobis; denique hic mundus fovet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, quæ tria sunt funesta germina cupiditatis, quæ malorum omnium est radix. Ita mundi Salvator Apostolos suos, eosque omnes, qui Christianæ militiæ nomen erant daturi, confirmaturus nihil aptius dicere poterat, quam certiores illos faciens, se jam victoriam retulisse de hoc mundo, ad quem oppugnandum illos mittebat: *Confidite, ego vici mundum. Idem.*

Invectiva contra hujus mundi flagitia.

Loquimur de hoc mundo, pro quo Salvator se nequaquam orare in Evangelio testatur, de infelici hac impiorum ex omnibus statibus congregatione, qui suis indulgent affectibus, & misera sunt sententiarum hujus sæculi mancipia; *Non pro mundo rogo.* Joann. 17. Corruptum hunc mundum respiciebat Propheta, cum dicebat: fugite Babylonem, ubi vitia triumphant, ubi virtutes contemnuntur, ubi peccatum, & licentia graffantur, ubi non alia numina agnoscuntur, quam voluptas, honor, & opes. Contra generalem hanc sæculi corruptionem accensa est ira Dei, qui cum indignatione populorum omnium impietatem intuetur: *Indignatio Domini super omnes gentes, & furor super omnem malitiam eorum.* Isaia 4. Divites sunt in sua cupiditate insatiabiles, cum paribus superbi, cum inferioribus duri, cum pauperibus crudeles. Hæc ævi sui divitibus Salvianus olim dicebat. Verum illud magis adhuc miserum est, quod pauperes nihilominus vitiosi sunt; ob status sui miseriam viderentur Evangelicis regulis subjiciendi esse; attamen, si S. Ambrosio credimus, in plerisque pauperibus inventur egestas sine humilitate, tribulationes sine patientia, calamitas sine ulla erga divinam providentiam submissione. Ubinam sunt magis honestæ professiones, ac status magis regulares, qui corruptionis hujus signa non gerant? At si mundus est in conditionibus, placitisque suis corruptus, in affectionibus suis est longe corruptior &c. *In specimine sermonum pro Dominicis Tom. 2. pro Dominica 20. post Pentecosten.*

De gradibus per quos in mundo mortales damnantur, deque vitiis, quæ ibi graffantur.

Ex vobis quæro, fideles, quid est mundus? Si vobis dicerem, illum esse scandali regnum, licentiæ gymnasium, libidinum, vitiorumque sentinam, miseriarum abyssum, nihil nimis me dicere existimarem. Verum mundus his coloribus pingi non solet. Quid ergo, fideles, est mundus, si judicium ferre placet juxta magis acceptas, mitioresque ideas? Mundum voco otiosorum hominum cœtum, qui inertiæ, & mollitiei abditi vitam producere quærunt, & nihil præterea; & cujus maximum negotium est, nullo implicari negotio. Mundum voco catervam insipientium, quorum non alia est occupatio, quam videre, & videri, qui cor suum molliunt per ea, quæ maxime perniciosa sunt, qui de infanis affectionibus suis gloriantur speciose fidelitatis, & constantiæ nomine appellantes obstinatissimam in flagitiis pertinaciam. Mundum voco sectam voluptuosorum hominum, quibus alea, comessationes, sodalitates, omnis denique voluptas, cujuscumque generis ea sit, supremi boni locum obtinet; qui nova excogitant solatia, eaque opportune variare discunt, ut jucunde alia aliis subrogent, eaque facile mutent, ubi prima tædium pepererint. Mundum voco ambitiosorum hominum multitudinem, qui quocumque pretio emergere volunt, huic nobilitatis chimeræ omnia sacrificantes bona sua, conscientiam, amicos; hominum, quos unicus contemptus prosternit, aliena gloria torquet, & in quorum corde aliquod semper odium est, in ore autem contumelia; quorum fœnus cupiditas magis, magisque inflammatur,

tur, prout e voto res cedunt, & numquam extinguitur, licet omnia illi adversa contingant. Mundum denique voco juvenum catervam, qui aliud quodlibet efficiunt, præterquam munus suum, qui in otio, & nonnumquam in scelere illud traducunt tempus, ex quo illorum quies, vel infelicitas in reliquum vitæ spatium pendet. Hoc ego mundum voco. *Auctor Anonymus.*

Hominum plerique mundi mores sequuntur.

Fons magis communis errorum, falsarumque opinionum, quæ in mundo vigent, hic est, quod homines, cum se cognoscere incipiunt, viam magis tritam sequuntur, & probant, vel damnant, quod a frequentiori numero probatur, vel damnatur. Tunc oculos conjiciunt in omne vitæ suæ spatium, sibique proponunt bonorum, fortunarum, quietis, & voluptatum systemata; consilia ineunt satisfaciendi sensibus suis, indulgendi affectionibus, placendi potestatibus sæculi, & credunt, se legitimam hujus vitæ excusationem afferre, cum dicunt, statum, quo impliciti sunt, virtuti aptum non esse, & vivendum esse, ut alii vivunt. Hinc tepiditas oritur in amore divino, tædium pietatis, oblivio Dei, ac plurima alia vitia, quibus vita repleta est. *P. Alleaume tomo primo passionum Domini.*

Mundus nec novit Deum, nec illi servit.

Mundus neque Deum novit, neque illi servit. Occupationes, negotia, munera, quæ ibi habentur, non pauciora saluti nostræ impedimenta objiciunt, quam ea sint præsidia, quæ ad eamdem operandam vita tribuat solitaria. Illi ipsi, qui magis frugi vivunt, sæpe æque, ac illi qui nullam regulam servant, iisdem periculis patent; etenim quemadmodum fere impossibile est, quod se ipsos ex aliorum flagitiis, & criminibus judicent, in aliorum operibus inveniunt, quomodo facta sua probent; & accidit ferme, ut sine ullis conscientiæ stimulis satis sibi esse putent vitam, quæ nihil habet, propter quod a Deo existimetur Christiano homine digna, & talis, qualis esse deberet ad æternam beatitudinem promerendam. *Abbas Trappensis tomo primo Christianorum Dogmatum.*

Status, & munera in mundo fugienda.

Illi omnes evitandi sunt status, quos Deus respicere non dignatur. Hujus generis est vita mollis, & deliciis affluens, vita solatiis, & voluptatibus dedita, magna negotia, magni honores, magnæ opes, quidquid mentem, & cor replet, & suapte natura, atque impressionibus suis magnas habet illecebras: quamdam hominibus injicit necessitatem, quam superare difficillimum est. Attamen tantum abest, quod in mundo aliquis eam superare contendat, ut felices, beatique existimentur, qui oppositum faciunt, qui in voluptatibus vivunt, qui fortunas suas student provehere, qui ad magnos honores perveniunt, qui negotiis obruti sunt, qui tempus non habent, quo se ipsos cogitent, & demum qui præsenti vitæ fortioribus nexibus, gravioribusque catenis adhærent. Hæc sunt vota, hi conatus mortalium, & qui extra hos status inveniuntur, miseri, humiles, abjecti, indignique putantur. *Essais de morale Tom. 5.*

Mundi fuga.

Nolite conformari huic sæculo, Sanctus Paulus inquit. Præceptum hoc, quod in Romanorum persona omnibus tradit Christianis, omnium vitæ Christianæ difficillimum est. Non præcipit, ut mundum relinquamus, sed ne illi nosmet conformemus; videlicet ne amemus, quod mundus amat, neque faciamus, quod facit. Ad id resistendum est vi exempli, & consuetudinis, & contra mundi torrentem obtinendum est. Vis autem consuetudinis magna est, & fere numquam in irritum cedit, quippe per omnes sensus ingreditur, & numquam intermittitur. Mundus, quin studia, vel placita mutaret, Christiani nomen accepit, atque ad illa etiam contendit præmia, quæ religio promittit. Ita in Christiana religione plurimi nunc inveniuntur, qui, quin putent se improbos esse, omnibus mundi studiis indulgent, honores, opes, voluptates sectantur, præsentium amore capiuntur, & futura non cogitant. Si quibusdam crassioribus delictis abstinent, alia plura sibi fas esse putant, quibus vitii nomen adimunt, & horrorem. At longe difficilius est hujusmodi vitiis reluctari, quæ tamquam pietati opposita non habentur, quam illis, qui eidem palam adversantur. Christiani, ut hisce novissimis resistant, vires conjungunt, mutuisque firmantur auxiliis; sed occultiora delicta major eorumdem fidelium numerus excipit, & amplectitur. *Idem.*

Vita plerorumque mortalium in mundo.

Quonam pacto plerique Christiani vivunt in mundo? Religionis obire officia per consuetudinem, vel per hypocrisim; amare, & odisse, quodcumque libuerit; quocumque sumptu locupletari, & crescere; affectibus suis indulgere; sensibus ea omnia, quæ postulant, elargiri; non cogitare utrum aliquid fas sit, an nefas coram Deo; sed unice utrum sibi placeat, & profit; hæc est imago vitæ plerorumque fidelium, hi mores miseræ multitudinis, quæ in via perditionis incedit. *P. Bourdaloue.*

Mundi, & opinionum ejus corruptio.

Nihil magis necessarium hac sæculi separatione; sæculi inquam, ubi mores corrupti sunt per relaxationem, divinæ veritates obscuratæ per errorem, virtutes infirmatæ per prava exempla, vitia per licentiam probata, flagitia per publicam auctoritatem roborata; sæculi inquam, ubi nihil nisi perfidia, & simulatio est: ubi peccatum per sexcentos aditus irrepit; ubi affectus sexcentis inflammantur objectis; ubi in singula momenta sollicitamur, ut lædamus Deum, ut officiorum nostrorum maxime essentialium obliviscamur, quia nemo fere invenitur, vel satis fidelis, vel generosus satis, ut eadem adimpleat. Sancti omnes ad horum periculorum aspectum contremuerunt, & salutis suæ desiderio commoti crediderunt, satius esse a mundo recedere, quam ibi vitam ducere, ubi innocentia undique oppugnatur, ubi virtus rara est, & æternitas ambigua. *Flechier, in Panegyrico S. Antonii.*

Mundi vanitates, & scelera.

Mundus hic subdolus, & fallax, quem tantopere deperditis, umquamne amorem vestrum promeritus est? Mundus hic, ubi super integerrimum quemque dominatur cupiditas, & ubi universe exulat charitas: mundus hic, ubi omnia susque deque confusa sunt, virtus spreta, vitium in honore habitum: mundus hic, qui ideo seducit animas, sibique sectatores acquirit, quia novit veram celare miseriam sub fictæ felicitatis specie: mundus hic in judiciis suis mendax, infidelis in promissionibus, in omni ratione damnabilis: hic denique mundus, cujus torrens pernicissime fertur, quodcumque fiat, ut retineatur; ubi omnia præterlabentium momentorum celeritate rapiuntur, quorum ne minimum quidem supereſt vestigium. Hoc nihilominus idolum est, quod vobis tamdiu dominatum est, & cui adeo arctis vinculis vinctis adhæretis. *Idem in Sancta Maria Magdalena Panegyrico.*

Quam rara sit in mundo innocentia.

Ubi primum nostra utimur libertate, tunc statim noxias eligimus voluptates; statim affectuum nostrorum vi rapimur, & ratio nostra nonnisi cum innocentiæ detrimento crescit. Terra universa infecta est corruptione inhabitantium illam; nullibi videtur amplius, Propheta inquit, veritas, & charitas; ibi non regnat amplius misericordia, & Dei scientia ignoratur. Omnes vallum perfregerunt, quod in corde suo innocentiam protegebat; blasphemia, mendacium, injustitia, adulterium, homicidium, perfidia, & nequissima quælibet scelera universam terram inundarunt, Propheta ait. Sanguis sanguinem tetigit; pater filio scandalum præbet; frater fratri insidias struit; vir ab uxore secedit. Jam non alia in terris sunt vincula, quam avaritia, affectio, ingenium, libido. Scelus in Principibus colitur, virtus, & pietas simplicium, ac popelli pars est: odia æterna sunt, & inimicus nullibi loco fratris habetur. Hinc iræ mutuæ: integerrima licet virtus conviciis proscinditur; litibus, odiis, & contumeliis certatur. Consanguineorum, & amicorum cœtus non aliud sunt, quam publicæ censuræ morum fratris tui, ludi facti sunt vel turpia negotia, vel furentes affectus, quorum funesta voluptas sæpissime familiarum, & fere semper animarum parit excidium. Convivia, innocua illa societatis vincula jam facta sunt intemperantiæ, & libidinis fores; voluptates, spectacula, cœtus jam publica sunt gymnasia libidinum; sæculum voluptatis lyceum est, ubi edisceitur ars infelix turpium amorum, qui puram animam coinquinat, & quos patres nostri ævo suo minime noverant; Urbs est Ninive peccatrix, ubi unusquisque vivit juxta desideria sua: Aula vitiorum omnium est centrum: ager horrida est solitudo, ubi homines ferarum instar sese invicem mordent, & laniant; ubi omnes alii in alios vicissim odio, invidia, zelotypia armantur. Quid plura? nihil nisi confusio, ac perturbatio videtur. *P. Massillon sermone de parvo numero electorum.*

Fascinatio quædam est hic amor mundi, qui in iis, qui eodem fuerint affecti, tantam rerum ad salutem pertinentium nauseam, tantam in divinis rebus incuriam, tantamque in pietate ignaviam immittit, ut in animo nihil fidei superesse videatur; adeo extincti sunt omnes sensus pietatis per vanitatem, luxum, fastum, delicias, otium, in quo modo vivimus. *Auctor Anonymus.*

De amore mundi.

Si affectiones licet periculosissimæ satis fortes non sunt, ut cor humanum corrumpant, mundi placita illis suppetias ferunt, & prorsus oppolita luminibus veritatis mendacii tenebras effundunt in mentem eorum, qui sequuntur illas. Si Jesus Christus præcipit, ut proximus diligatur, illa hunc suis cupiditatibus sacrificare contendunt; si Jesus Christus imperat, ut inimicis parcatur, illa ultionem suadent; si Jesus Christus dam-